

2

# QUÆSTIO MEDICA

*De Naturali & Præternaturali Judicii  
Exercitio.*

PROPOSITA

AB ILLUSTRISSIMO VIRO D. D.  
JOANNE ASTRUC

Regis Consiliario & Medico, in Almâ  
Monspelienſium Medicorum Acade-  
miâ Professore Regio digniſſimo, &  
Regiæ Societatis Scientiarum Socio,  
SUB HAC VERBORUM SERIE.

*AN Judicii exercitium ſive rectum ſive  
depravatum à cerebri mechaniſmo,  
& quâ ratione dependeat?*

Quam Deo duce & Auspice Dei-parâ propug-  
nabit ANDRÆAS-JOSEPHUS SERON  
Parieſiſis, Artiũ Liberalium Mâgiſter,  
& jamdudũ Medicinæ ſtudioſus, die  
menſis Decembris anni 1718. in Auguſtiſſi-  
mo Monſpelienſis Apollinæis Fano.

*Pro primâ Apollinari laureâ conſequendâ,*



MONSPELII,

Apud VIDUAM HONORATI PECH, Regis &  
Universitatis Typographi. 1718.

# DISPUTATURI.

## PROFESSORES REGII.

R. D. Franciscus Chicoyneau, *Can-*  
*cellarius & Judex.*

R. D. Joannes Bezac, *Decanus.*

R. D. Petrus Chirac, *Serenissimi*  
*Principis Regentis Archiater.*

R. D. Antonius Deidier.

R. D. Petrus Rideux.

R. D. Antonius Magnol.

R. D. Jacobus Chastelain.

R. D. Henricus Haguenot.

## DOCTORES ORDINARII.

M. Joannes Pitot.

M. Antonius Artigues.

M. Josephus Richard de Boutilier.

M. Jacobus Pistoris.

M. Joannes - Stephanus Daniel-  
Deshayons.



SERENISSIMO  
DUMBARUM  
PRINCIPI,  
LUDOVICO-AUGUSTO  
BORBONIO,  
HELVETIORUM  
RHÆTORUMQUE PRÆFECTO,  
OCCITANIÆ PROREGI.



RINCEPS SERENISSIME

*Primitias Laborum Academicorum*

CELSITUDINI TUÆ SERENISSIMÆ

offerre multa dudum suaserant, Pro-  
vincia, in quâ jam versor, Academia,  
ubi Medicina tyrocinium pono, Familia  
denique mea, quæ singulatim Tuo Pa-  
trocinio gestiunt. Sed continebat pudor  
& temerarium audaciusque videbatur  
consilium, Tanto Nomini tam tenuem  
Opellam consecrare. Persuasere tandem  
urbana Tua comitas, PRINCEPS SERE-  
NISSIME, erga cunctos officiosa, stu-  
dium singulare quo litteras foves,  
notaque benignitas quâ vel ipsis ty-  
ronum conatibus facilis indulges. Si  
spectatam animi Tui virtutem egre-  
giam, Tantoque Nomine dignam, jam

fama longè latèque vulgavit : Si toto  
terrarum orbe prædicantur Heroïca Fac-  
ta , quibus bello Hungarico Turcis ter-  
rorem , Germanis admirationem , Gal-  
lis amorem TUI concitasti : Non minùs  
perspecta est , PRINCEPS SERENIS-  
SIME, benevolentia singularis, quâ lit-  
teras litterarumque studiosos patrocínio  
auges , & favore illustras. Velis igitur  
quæso , SERENISSIME PRINCEPS, quæ  
Tua est indita humanitas , juvenilibus  
coëptis , nostræque sin minùs in assequen-  
dâ veritate felicitati , sedulitati sal-  
tem in indagandâ benignus aspirare , &  
hoc qualecumque summi obsequii perfec-

*æque venerationis monumentum boni  
consulere; quod ita velim accipias, ut  
vel eo nomine quòd oblatum non gra-  
uaris accipere, novi beneficii titulo  
me tibi devinctum arbitreris,*

PRINCEPS SERENISSIME,

CELSITUDINI TUÆ SERENISSIMÆ

*Jam addictissimum &  
obsequentissimum,*  
ANDRÆAM-JOSEPHUM  
SERON.

*Dabam Monspelii Non. Decembris*  
ann. 1718.



# QUÆSTIO MEDICA

*De naturali & præternaturali Judicii  
exercitio.*

**Q**UI de principibus Animæ facultatibus metaphysicè scripserint, nimirum multi: Qui de iisdem physicè egerint, ac mechanismum peculiarem, quo in corpore exercentur, sigillatim exposuerint, nulli. Quapropter cum id muneris aggredior circa naturale & præternaturale judicii exercitium, \* *Avia Pieridum peragro loca nullius antè Trita solo.* Inde tamen sperare ausim, vel ipsâ rei novitate & quæstionis difficultate, faciliorem veniam datum iri conjecturis sequentibus, quas ordine geometrico proponere visum fuit, non quidem ex confidentiâ, quasi eas pro Theorematis totidem haberem; imò verò contrario

\* *Lucret. Lib. 4.*

plane consilio, ut si quid minùs rectè protulisse contigerit, possit inde, jubare propositæ methodi, quæ certissimum est veritatis criterium, falsitas tantò faciliùs redargui.

## DEFINITIONES.

### I.

**J**udicium est ea mentis affectio, quâ unum de altero negamus vel affirmamus.

### II.

In eo tria potissimùm consideranda sunt, *Subjectum* nempe, seu id de quo alterum quidpiam negatur vel affirmatur: *Attributum*, seu id quod de subjecto pronuntiatur, & *Copula*, quâ duo termini videntur invicem connecti.

### III.

Judicia dividuntur 1°. in *Simplicia*, quæ unum de alio simpliciter & absque ullâ illatione enuntiant; & *Illativa*, quæ facto à notiori ad minùs notum progressu, ex clarioribus judiciis viâ syllogisticâ eliciuntur.

### IV.

2°. In *Affirmativa* & *Negativa*, prout copula, quæ inter extremos terminos intercedit, affirmativa est vel negativa.



3°. In *evidentia & probabilia*: Evidentia dicuntur judicia, quibus mens summo veluti lumine perculsa cogitur necessariò assentiri: Probabilia verò ea sunt, quibus anima leviùs percita debiliùs assentitur, ità ut interdum pro nutu possit dissentiri.

## VI.

Inter duo hæc extrema judiciorum genera, dantur plures alii intermedii gradus majoris vel minoris probabilitatis aut evidentia. Sic v. g. evidentium judiciorum alia proprio lumine & solâ terminorum expositione mentis assensum extorquent, qualia sunt *prima Principia* seu *Veritates aeternae*. Aliis verò operosâ probatione opus est, ut hærens & incerta mens ad consensum determinetur, qualia sunt universa *Matheseos Theoremata*.

Cæteras mittimus judiciorum differentias in *Universalia & Particularia*, *Univoca*, *Æquivoca*, &c. ut quæ non tam in ipsa judicia cadant, quam in ideas seu terminos, quibus judicia componuntur.

## P O S T U L A T A.

I.

**C**erebrum quod functionum animalium instrumentum est, triplici diversâ substantiâ componi.

I I.

*Supremâ*, quæ Cineracei coloris est, & cerebri corticem constituit, unde *Cineracea* & *Corticalis* dicitur:

I I I.

*Mediâ*, quæ albicans & supremâ firmior est, quapropter *Callosa* nuncupatur.

I V.

*Infimâ* tandem, quæ interjectis albicantis & cineræ substantiæ radiis sive striis variatur, unde *Striata* vocatur.

V.

Corticali substantiâ, sive per acinos glandulosos, ut Malpighio visum est, sive per ductus arteriis lateraliter hiantes, ut vult Leeuwenhoekius, secerni à sanguine lymphaticum laticem tenuem, *Spiritus animalis* nomine vulgò cognitum.

V I.

Secretum in corticali substantiâ fluidum in subjectam callosam substantiam deferri minutissimis plurimisque fibrillis, albicantibus, cavis, medullaribus, quæ

5

eum callosâ substantiâ continuæ & ejusdem naturæ participes sunt.

### V I I.

Mediam hanc cerebri substantiam nullo fibrarum ductu, nullove ordine distingui, sed uniformem, homogeneam, compressionis patientem, restitutionis capacem, sambuci medullæ haud dissimilem esse: quamobrem nec inani conjecturâ creditur constare cellulis innumeris invicem communicantibus, distinctis tamen interjectu intercapedinum seu columnarum membranacearum, flexilium, elasticarum, vibratilium, quæ cum spiritibus circumfluæ sint & illorum quassationibus semper objectæ *Fibras cerebri* tantoperè decantatas constituunt.

### V I I I.

Spiritus à singulis cineræ substantiæ punctis undequaque defluos jam descriptas callosæ substantiæ cellulas æquabiliter replere, inflare, distendere, ac ne cui desint loco non modò mutuis cellularum aperturis, sed & mechanicâ cerebri structurâ perpetua inter se commercia habere, superiores cum inferioribus per *septum lucidum*, laterales cum laterilibus per *latam cerebri commissuram*, pos-

teriores demùm cum anterioribus per  
*crura brachiaque & radices fornicis.*

## I X.

Repletis semel hisce cellulis spiritus  
inde progredi in appensas continuasque  
medullaris substantiæ strias, quæ cine-  
reæ substantiæ interjectæ striatam cere-  
bri partem componunt.

## X.

Illas verò strias angustiores tenuiores-  
que factas, & extra cerebri superficiem  
prominentes prima constituere nervo-  
rum principia, pulposa & mollia, quæ  
nacta ibi vaginulam geminam, à piâ ma-  
tre unam, alteram à durâ, foras emer-  
gunt è calvariâ, *Nervosque* jam propriè  
dictos, efficiunt firmos, duros, involucro  
gemino munitos, & in omnia vel minima  
puncta partium omnium distribuendos.

## X I.

*Cerebellum* iisdem substantiis eodem  
ordine dispositis constare, hoc uno dis-  
crimine quod substantia corticalis, quæ  
in cerebro in gyros contorta est similes  
intestinatorum flexionibus, in cerebello  
in lamellas varias strictè densatas com-  
pingatur.

Cæteras cerebri & cerebelli partes,

ut scopo nostro inutiles , otioso Neurographorum labori describendas relinquimus.

## A X I O M A T A.

### I.

**C**orpora tum solida , tum liquida in solidas & elasticas partes impingentia , restituto earum elaterio aliò institutâ viâ detorqueri , seu aliò reflecti.

### II.

Nervos in musicis organis consonare trifariam , 1°. Si longitudine , crassitiè & tensione omninò pares sint. 2°. Si unâ harumce qualitatum pares , cæteris duabus itâ dispares fuerint , ut inter eas reciproca proportio sit. 3°. Denique si longitudine , crassitiè ac tensione itâ inter se discrepent , ut collatis harum rationibus *isochronos* tamen subsultus edant.

### III.

Dissonare pariter triplici ratione. 1°. Si longitudine , crassitiè ac tensione differant , nec ulla sit proportio , quâ fiat compensatio , sed ex unâ parte omnes excessus , ex alterâ verò omnes defectus sint. 2°. Si unâ harumce qualitatum pares , duabus tantùm inter se discrepent. 3°. Tandem si duabus quibusvis harum

qualitatibus pares , solâ tertiâ , quæ superest , dispares sint.

## I V.

Simplicem quamlibet ideam , quæ animæ obversatur , oscillatione certæ unius ac determinatæ cerebri fibræ produci : compositas verò ideas simultaneis plurium fibrarum vibrationibus excitari.

## V.

Majorem minoremve idearum evidentiam & claritatem , majorem minoremve vehementiam sequi , quâ oscillantur fibræ cerebri , quibus referuntur.

## P R O P O S I T I O I.

*In omni judicio motiones duas in cerebro successivè fieri.*

I. **I**N omni judicio duæ ideæ menti recurrunt , subjecti scilicet & attributi. Sed non possunt *ex axioma* 4<sup>o</sup>. ideæ duæ menti obversari , nisi duæ fiant in cerebro motiones. Debent ergo in omni judicio motiones duæ in cerebro excitari.

II. Ideæ illæ duæ subjecti & attributi successivè menti occurrunt , una post alteram. Debent ergo motiones cerebri

à quibus dependent pari ordine successi-  
vè fieri , priùs nempe motio subjectum  
repræsentans , posteriùs vero ea , quæ  
attributum menti exhibet. *q. p. e.*

#### COROLLARIUM I.

Prout subjecti & attributi ideæ sim-  
plices sunt vel compositæ , motiones  
cerebri quibus excitantur ad unicam tan-  
tùm cerebri fibram pertinent , vel ad  
plures , quæ motu simultaneo succutian-  
tur , uti evidens est *ex axioma 4°.*

#### COROLLARIUM II.

In omni autem judicio vel idea utra-  
que subjecti & attributi simplex est , vel  
utraque complexa , vel alterutra simplex,  
complexa verò alterutra. Si primùm ,  
unica tantum fibra utrimque movetur.  
Si alterum , plures utrimque fibræ sunt ,  
quæ simul succussæ compositas ideas re-  
ferant. Demùm si tertium , unica fibra  
succutitur ex unâ parte , plures verò ex  
alterâ simul moventur.

## PROPOSITIO II.

*Motiones duas successivas, quæ ad iudicium quodlibet debent in cerebro fieri, ab uno & eodem spirituum rivo produci, qui à commotâ primo loco subjecti fibrâ resiliat dein in fibrâ attributi secundo loco concutiendam.*

**S**uccessivæ duæ motiones, quæ in cerebro ad omne iudicium debent fieri, producuntur vel à diversis spirituum rivis, vel ab eodem, qui ex concussâ fibrâ subjectum repræsentante in alteram reflectatur juxta *axioma* Ium. Sed evidens est ideas duas successivas, quibus iudicium constituitur, à distinctis duobus spirituum rivis non produci: tunc enim diversæ planè forent atque distinctæ, ut dùm de Petro, Paulo &c. cogito, quod tamen locum nequaquam habet in iudicio, in quo idæ duæ quæ successivè excitantur, per negationem aut affirmationem necessario connectuntur. Superest ergo ut illæ idæ, quæ iudicium efformant, ab uno & eodem spirituum rivulo producantur, qui ex concussâ primo loco fibrâ ideam subjecti, quæ prior, repræsentante resiliat dein in fibrâ quâ



attributi idea animæ refertur *q. p. e.*

*COROLLARIUM I.*

Solum ergo discrimen, quod inter motiones cerebri successivas, quibus discretæ ideæ in animâ excitantur, & successivas alias motiones intercedit, quæ ideas in animâ producant per judicium copulandas, hoc est, quod priores à discretis spirituum rivis fiant, posteriores verò ab eodem spirituum rivulo ex unâ fibrâ in alteram resiliente.

*COROLLARIUM II.*

Ratio proinde, quâ mens ideas priori modo successivè excitatas discretas habet, ideas verò posteriori modo productas per judicium negatione vel affirmatione connectit, hinc est repetenda, cum sola ea sit differentia, quâ motiones cerebri posteriores ideas producentes à motionibus priores excitantibus discrepent.


*COROLLARIUM III.*

Concludendum igitur à posteriori Deum animam corpori uniendo decrevisse eam discretas omnes ideas habituram, cum motiones cerebri, quibus producerentur, à discretis & diversis spirituum rivis fierent: Illas verò ideas per judicium connexuram, quæ dependerent

à motionibus cerebri eodem spirituum  
rivo productis.

*COROLLARIUM IV.*

Quatuor sunt diversi casus, quibus fiat  
hæc spirituum reflexio à subjecti fibris in  
fibras attributi. Nam 1°. si utraque sub-  
jecti & attributi idea simplex sit, ac una




tantum fi-  
bra utrim-  
que movea-  
tur, tunc  
spiritus D,  
qui in sub-  
jecti fibrâ  
S incidere,  
in alteram  
A reflecti  
facile erit,  
juxta datam  
anguli refle-  
xionis pro-

portionem ad angulum incidentiæ.

2°. Si complexa sit subjecti idea, sim-  
plex verò idea attributi, plures tunc  
spirituum rivi DDD, qui in totidem  
subjecti fibrâs SSS primò impegerint,  
inde sub determinatis angulis reflecten-

tur , in unicam attributi fibram A coi-  
turi.

3°. Si simplex fit subjecti idea , idea



verò attribu-  
ti complexa,  
plures in hoc  
casu rivi D  
DD, qui in  
unicam sub-  
jecti fibram  
S primò co-

iere diversis incidentiæ angulis , inde  
per diversas lineas resilient in totidem  
attributi fibras AAA divaricandi.

4°. Demùm si utraque subjecti & at-  
tributi idea complexa fuerit , casus ille  
debet ulterius in tres alios resolvi. Nam  
1°. Vel fibræ , quæ subjecti ideam exci-  
tant , numero pares erunt fibris , quibus  
idea attributi animæ refertur , sicque à  
singulâ quâlibet subjecti fibrâ in singulas  
attributi fibras fiet reflexio, ut in primo  
casu. 2°. Vel illæ numero plures erunt,  
atque tunc discreti aliquot spirituum rivi  
in eandem attributi fibram debent con-  
currere , ut in secundo casu. 3°. Vel  
erunt numero pauciores , atque adeò rivi  
plures , qui in eandem subjecti fibram

coincidere, in diversas plures attributi fibras divergent dum reflectentur, ut in tertio casu.

### PROPOSITIO III.

*Animam ideas per judicium conjungendas negatione vel affirmatione copulare, non prout vult, sed pro variâ cerebri dispositione.*

**M**ulta docent animam judicia elicere non præcisè ut ipsa vult, sed pro variâ corporis dispositione.

I. Siquidem judicium erroneè & absurdè exercetur in iis qui delirio laborant. Sed in his vitiosa est & morbosa solius corporis constitutio, non verò animæ, in quam morbus cadere non potest ob spirituales substantiam. Sequitur ergo à morbosâ & vitiosâ solius corporis diathesi judicia falsa & erronea in animâ excitanda esse.

II. Docet experientia vimis frequens de re planè eâdem variè à variis judicari, imò ab iisdem diverso tempore. Sed in variis hominibus, ac proinde multò magis in iisdem diverso tempore anima est unius ejusdemque substantiæ & veritatis

semper æquè amans. Ea ergo judicii varietas vel inconstantia non in animam refundenda est, sed in corporis dispositionem, quæ varia semper & mutabilis est.

III. Vulgatum est plurimos in errore obstinatos apertæ veritati bonâ fide reluctari. Sed ea pervicacia ab animæ vitio repeti non potest, quæ recti studiosa veritati nunquam refragatur. Igitur à solâ corporis dispositione dependet, quâ judicium erroneum constanter elicitur.

Anima ergo judicia affirmativa aut negativa elicit, seu quod idem est, excitatas in se ideas per judicium conjungendas negatione vel affirmatione variè copulat, pro variâ corporis dispositione. Hæc autem corporis dispositio, quæ prævia requiritur ut anima ad negationem vel affirmationem determinetur, in eam præcisè corporis partem refundenda est, cujus motionibus excitantur in animâ idæ per judicium conjungendæ, quod uni cerebro convenit. Sequitur ergo eam dispositionem in solum cerebrum cadere, atque adeò animam excitatas in se ideas per judicium conjungendas negatione vel affirmatione va-

riè copulare pro variâ cerebri dispositione. q. p. e.

PROPOSITIO IV.

*Præviã cerebri dispositionem, quæ requiritur ut anima ad affirmationem vel negationem determinetur, simplicem modificationem esse duarum motionum, quæ in cerebro fiunt, & quibus excitantur ideæ per iudicium conjungenda.*

**V** Idimus propositione primâ ad omne iudicium requiri, ut motiones duæ in cerebro fiant, quarum una subjectum, attributum altera repræsentet. Dispositio ergo cerebri, quæ prævia requiritur ut anima excitatas ideas modò negatione, modò affirmatione pro rerum varietate conjungat, vel tertia motio erit cerebro impressa & à memoratis duabus distincta, vel simplex erit modificatio relativa harum duarum motionum. Sed non potest ea cerebri dispositio tertia esse motio cerebro impressa & à cæteris duabus distincta; tunc enim tertia idea in animâ excitaretur ab ideis subjecti & attributi diversa, quod in iudicio nequaquam accidit, in quo duæ tantum  
sunt

sunt ideæ. Sequitur ergo præviam hanc cerebri dispositionem, quæ ex *precedente* requiritur, ut anima ad affirmationem vel negationem pro rerum varietate determinetur, simplicem modificationem esse motionum, quæ in cerebro fiunt, & quarum una subjecti, altera attributi ideam animæ exhibet. *q. p. e.*

C O R O L L A R I U M I.

Modificatio, quæ prævia requiritur ut anima ad affirmationem vel negationem determinetur, in relatione consistit motionis subjectum repræsentantis ad motionem, quæ attributum exhibet, ac proinde utriusque comparationem includit. Si enim alterutri tantum harum motioni propria esset, nec alteri relativa, nulla certa foret regula, quâ ad affirmationem vel negationem determinaremur. Si v. g. hæc modificatio staret ex solâ parte motionis subjectum repræsentantis, excitata hinc subjecti idea cum attributis quibuscumque posset indifferenter connecti. Si verò penderet ex parte solius motionis, quæ attributum refert, enata inde attributi idea de subjectis quibuslibet posset prædicari, quorum neutrum verum est.

## COROLLARIUM II.

Si utraque subjecti & attributi idea simplex sit, unica tantum motio erit utrimque conferenda: Si utraque composita fuerit, plures simul utrimque motiones comparandæ erunt: Si una verò simplex sit & altera complexa, unica motio ex unâ parte pluribus ex parte oppositâ motionibus æquiparanda.

## PROPOSITIO V.

*Relativam motionum cerebri modificationem, quâ ad affirmationem vel negationem determinamur, in æquali aut inæquali subsultuum numero consistere, quos motitantes fibræ pari tempore efficiunt.*

**N**ulla potest alia inter duas discretarum cerebri fibrarum motitationes ratio intercedere, nisi vel ratione vehementiæ æqualis aut inæqualis, quâ tremunt; vel ratione æqualis aut inæqualis subsultuum numeri, quos eodem tempore efficiunt. Debet ergo relativa modificatio, quâ ad negationem vel affirmationem determinamur, ex alterutro horum capite pendere. Sed vehementia, quâ subsultant cerebri fibræ, inservit ex-



primendæ idearum evidentia ex *axioma* 5°. Ideæ enim menti obortæ majori, minori, vel æquali evidentia animam percellunt, prout fibræ quibus excitantur majori, minori, aut æquali vehementia tremunt. Non potest ergo æqualis aut inæqualis motionum vehementia animam ad affirmationem aut negationem ullatenus determinare, nec enim idem signum res duas diversas potest usquam significare. Superest ergo ut fateamur relativam hanc modificationem ex æquali aut inæquali subsultuum numero repetendam esse, qui eodem tempore fiunt à fibris duabus cerebri subjectum & attributum repræsentantibus.

#### COROLLARIUM I.

Subsultus duarum cerebri fibrarum *Isochroni* dicentur, seu *equi-temporanei*, si quo tempore fibra una, subjectivi. g. certis vicibus oscillatur, totidem eodem tempore oscilletur & altera seu attributi fibra. Ille verò fibrarum status *Isochronia* seu *Synchronismus* vocabitur.

#### COROLLARIUM II.

Duo fibrarum manipuli, quorum hic subjecti, alter attributi ideam referat,

subsultus isochronos dicuntur edere, si vibrationes hinc & inde eodem tempore factæ à singulis quibuscumque utriusque manipuli fibris in summam seorsim ductæ numero pares sint.

### COROLLARIUM III.

E contra duarum fibrarum subsultus *Eterochroni* nominabuntur, si quo tempore subjecti fibra tres efficit aut quatuor subsultus, attributi fibra eodem tempore plures, ut sex, septem, octo &c. vel pauciores, ut unum, duos &c. efficiat. Ea verò motionum ratio *Eterochronia* seu *Parachronismus* appellabitur.

### COROLLARIUM IV.

Similiter quoque duo fibrarum manipuli, qui subjecti & attributi ideam repræsentant, eterochronos subsultus efficiunt, si summæ vibrationum hinc & inde eodem tempore à singulis utriusque manipuli fibris factarum inter se comparatæ numero differant.

### SCHOLIUM.

**H** Actenus vera satis protulimus & si mo pede, licet per ardua, visum sumus procedere. Jam sane probabilia

tantum afferemus. Nec enim mortalium ulli datum est scrutari libera summi Numinis mentem corpori unientis decreta seu consilia. Cum enim essentialis nulla intersit communio inter Synchronismum & Parachronismum motionum cerebri, atque affirmationem & negationem, liberum plane fuit summo Creatori Synchronismo negationem & Parachronismo affirmationem, aut vice versa negationem huic, illi vero affirmationem connectere pro penitissima infinitae sapientiae norma, & libera voluntatis determinatione. Desunt ergo media, quibus a priori sancitas haec in re leges possimus determinare, nec minus difficile est rem a posteriori dirimere. Ultrò ergo fatendum est nos in eo definiendo prorsus caecutire. Liceat tamen in re obscurissima conjecturas, si non veras, verosimillimas saltem proponere, quibus Gordius ille nodus satis feliciter resolvi, & latentia haec Dei beneplacita, sin minus certò definiiri, per caliginem saltem videntur subindicari.

## PROPOSITIO VI.

*Probabile esse animam ad assensum seu affirmativum judicium determinari ab Isochronis subsultibus fibrarum, quæ subjectum & attributum exhibent.*

**I**N affirmativo judicio subjectum inter & attributum, licet re ipsâ diversa sint, consensu tamen quidam conformitasque intercedit. Sed videtur ea conformitas ab isochronis pendere subsultibus seu numero paribus, quos pari tempore efficiunt fibræ subjectum & attributum repræsentantes. Est ergo verosimile in affirmativo judicio subsultus fibrarum, quæ extrema repræsentant, isochronos esse, animamque proinde ad assensum determinari ab ipsâ subsultuum isochroniâ, *q. p. e.*

## COROLLARIUM I.

Fibras, quæ isochronos subsultus seu numero pares pari tempore efficiunt, & affirmativum proinde judicium constituunt, *consonas, unisonas, symphonas, &c.* vocabimus.

## COROLLARIUM II.

Ut mens excitatas ideas affirmatione conjungat, perfecta semper non requiri-

tur consonantia ; cum enim omnis consonantia , sicut & æquilibrium , in indivisibili consistat , neque magis minusve possit intendi , sequeretur inde mentem affirmantibus omnibus judiciis vi æquali adhæsuram , neque ullum altero evidentius fore , quod est contra experientiam.

*COROLLARIUM III.*

Hinc igitur colligere est affirmativa judicia , prout magis minusve assensum extorquent , à diversis consonantiæ gradibus dependere , atque adeo licet perfecta requiratur consonantia ad ea quæ solo lumine proprio sunt evidentia , ad cætera tamen , quæ obscurius animam percellunt , sufficere , si fibræ ad consonantiam propè accedant , ut infra fusiùs exponemus.

*COROLLARIUM IV.*

Eâ ergo ratione symphonas vel consonas fibras , quibus mens ad affirmationem determinatur , in *Omophonas* , quæ eodem prorsus modo ; & *Omoiophonas* , quæ modo proximè simili invicem adsonant , licet distinguere.

## PROPOSITIO VII.

*Ratione contrariâ verisimile esse animam ad dissensum seu negativum judicium determinari ab Eterochroniâ subsultuum, quos fibræ subjectum & attributum referentes efficiunt.*

**V**Idetur difformitas, quæ in negativo judicio subjectum inter & attributum interest, optimè explicari per Eterochroniam subsultuum, qui à fibris subjectum & attributum repræsentantibus fiunt. Potest igitur, nec sine veri specimine statui in negativo judicio subsultus fibrarum cerebri, quæ subjecti & attributi ideas excitant, Eterochronos esse, atque adeò animam ad dissensum seu negativum judicium determinari ab horum subsultuum eterochronia. *q. p. e.*

## COROLLARIUM I.

Fibras, quæ eterochronos subsultus seu numero dispares æquali tempore efficiunt, & negativum judicium producant, *Dissonas* in sequentibus appellabimus.

## COROLLARIUM II.

Inferes ex postremis duabus propositionibus judicia omnia tùm affirma-

tiva, tùm negativa *convertibilia* esse, ut Logici loqui solent, seu mutato extremorum ordine eadem semper permanere, & mentem ad assensum vel dissensum pari jure determinare; nam si motio A, quæ subjectum, motioni B, quæ attributum refert, consonet semel aut dissonet, eas semper pari jure consonare aut dissonare necessum est, licet ordine extremorum inverso subjectum hæc, illa verò attributum jam repræsentet.

### SCHOLIUM I.

UT de nervis organorum musico-  
rum dictum est *Axiomate* II. Sic consonant tripliciter fibræ cerebri. 1°. Si longitudine, crassitie, ac tensione omninò pares sint, & hæc est perfectissima consonantia. 2°. Si unâ harumce qualitatuum pares cæteris duabus ita dispares fuerint, ut inter eas reciproca proportio sit, uniusque defectus excessu alterius compensetur, quæ symphonia media erit. 3°. Denique si longitudine, crassitie ac tensione ita inter se discrepent, ut collatis harum rationibus isochonos tamen subsultus edant, & hæc

obscurissima est consonantiæ species. Una vero quæque ex allatis consonantiæ speciebus tres intensiõnis gradus distinctos habet, primum cùm perfecta est & accurata consonantia : secundum cùm consonantia ad perfectam proximè accedit : tertium demùm cùm consonantia à perfectâ longiùs distat.

SCHOLIUM II.

Pari vero ratione fibræ cerebri dissonant triplici modo, juxta *Axioma* III. 1°. Si longitudine, crassitie, ac tensione differant, nec ulla sit proportio, quâ fiat compensatio, sed ex unâ parte omnes excessus, ex alterâ verò omnes defectus sint, & hæc est maxima dissonantia. 2°. Si unâ harum qualitatum pares duabus tantùm inter se discrepent, & media est hæc dissonantia. 3°. Tandem si duabus quibusvis harum qualitatibus pares, solâ tertiâ quæ superfit dispares sint, & hæc est minima dissonantiæ species. In unaquaque verò specie tres gradus distinguendi, unus dùm summa, maximaque; alter dùm minor; tertius denique dùm minima dissonantia est.



## PROPOSITIO VIII.

*Evidentiam judiciorum, quæ affirmativa sunt ex majori minorive fibrarum consonantiâ estimandam esse, quæ subjecti & attributi ideas excitant.*

**E**O evidentiora sunt affirmativa judicia, quò mens ad assensum vividius determinatur, fortiùsque rapitur. Sed mens eò fortiùs ad assensum rapitur, quò accuratior est exactiorque fibrarum consonantia, quæ subjectum & attributum referunt. Affirmativa ergo judicia eò evidentiora erunt, quò major erit & accuratior consonantia fibrarum subjecti & attributi. *q. e. d.*

## COROLLARIUM I.

Inde colliges judicia affirmativa, quæ ex terminis patent proprio lumine, quæque vulgò *prima principia* seu *propositiones immutabilis & æternæ veritatis* dicuntur, ac in omnibus omninò hominibus eadem semper perstant, à fibris excitari quæ primo modo exactissimè consonent. Hæc enim consonantiæ species sola constans est & immutabilis.

## COROLLARIUM II.

Affirmativa judicia circa Physica, Mo-

ralia & Politica, quæ licet ex usu, præjudicio, vel auctoritate ad assensum solâ terminorum expositione determinant, eadem tamen neque in omnibus, neque semper permanent, sed pro individuorum, imò quoque temporum differentiâ mutabilia sunt, à fibris produci, quæ posterioribus modis consonent.

*COROLLARIUM III.*

Judicia affirmativa, quæ solâ terminorum expositione non patent, sed quæ ubi semel probatione præviâ menti fuerint oblata, veritatis sunt constantis & immutabilis, ut affirmantia omnia Geometriæ Theoremata quæ ex clarioribus principiis illationis viâ eruuntur, à fibrarum consonantia dependere, quæ ad perfectam prioris speciei consonantiam proximè accedat.

*COROLLARIUM IV.*

Judicia affirmativa, quæ cum semel inducta fuere, assensum nec ab omnibus nec ab iisdem continuo extorquent, ut asserta pleraque in Physicis & Moralibus, à fibrarum consonantiâ excitari, quæ ad posteriores consonantiæ species proximè accedat.

## COROLLARIUM V.

Denique judicia affirmativa, quæ probabilia tantum sunt, animamque levissimè percellunt, à fibrarum consonantiâ produci, quæ ab accuratâ quavis symphoniâ longiùs distet.

## COROLLARIUM VI.

Variose esse evidentiæ gradus in singulâ quaque ex allatis judiciorum specie, prout in unaquaque accuratior est vel minùs accurata consonantiæ ratio.

## PROPOSITIO IX.

*Evidentiam judiciorum, quæ negativa sunt, dissonantiam fibrarum sequi, quibus sub-  
jecti & attributi ideæ debentur.*

**E** Adem est hujus demonstratio ac præcedentis propositionis.

## COROLLARIUM I.

Hinc sequitur judicia negativa, quæ ex se patent solâ terminorum expositione, & veritatis sunt æternæ ac immutabilis à fibris primo modo summè dissonis excitari. Hæc enim una dissonantia constans est & immutabilis.

## COROLLARIUM II.

Judicia negativa circa Physica, Mo-

ralia & Politica , quæ licet ex se nonnullis pateant , pro individuorum , imò quoque temporum ratione immutantur, à fibris fieri quæ posterioribus modis quam maximè dissonent. Nam illæ dissonantiæ species solæ sunt mutabiles.

*COROLLARIUM III.*

Judicia negativa , quæ probatione semel inducta eadem semper in omnibus perstant , ut negantia Geometriæ Theoremata , à minori fibrarum dissonantiâ produci , quæ ad priorem speciem quam proximè accedat.

*COROLLARIUM IV.*

Judicia negativa circa moralia ac politica , quæ licet probata semel unum alterumve convincant , nec omnes tamen nec eosdem semper possunt convincere , à leviori fibrarum dissonantiâ dependere , quæ maximæ posteriorum specierum dissonantiæ quam proxima sit.

*COROLLARIUM V.*

Judicia demùm negativa , quæ probabilia tantùm sunt , à levissimis fibrarum dissonantiis excitari.

*COROLLARIUM VI.*

Varios evidentiae gradus in allatis singulis judiciorum negativorum speciebus

à diversâ majori nempè vel minori dissonantiæ ratione pendere.

PROPOSITIO X.

*Rectum judicii exercitium à debito & connaturali fibrarum cerebri tono dependere.*

**R**ectum est judicii exercitium, quando ideæ similes affirmatione, dissimiles verò negatione copulantur. Atqui ideæ similes affirmatione copulantur ex *propositione 6a.* quando fibræ quibus referuntur isochronæ sunt: ideæ verò dissimiles negatione connectuntur ex *propositione 7a.* quandò fibræ quibus exhibentur sunt eterochronæ. Ergo rectum est judicii exercitium quando fibræ, quæ similes ideas, isochronæ: quæ verò dissimiles exhibent, eterochronæ sunt. Sed fibræ, quæ similes ideas, isochronæ, & quæ dissimiles exhibent, eterochronæ sunt, quandiù debitum & connaturalem tonum habent. Ergo tandiù rectum est judicii exercitium, quandiù debitus & connaturalis fibrarum cerebri tonus viget. *q. e. p.*

**C**onnaturalis ille fibrarum cerebri tonus DEO debetur summo ac sapientissimo rerum omnium opifici, qui tam mirâ arte, tamque solerti operâ fibras humani cerebri fabrefecit, ut quibus ideas similes, isochronæ: quibus verò dissimiles ideas excitari voluit, eterochronæ sint. Ita, si liceat parva magnis componere, organicus artifex nervos Clavicymbalis Citharisve eâ industriâ aptat, ut singuli singulos propriosque sonos reddant, optatæque respondeant symphoniæ.

PROPOSITIO XI.

*Vitiosum & erroneum judicii exercitium fieri à depravato fibrarum cerebri tono.*

**J**udicium vitiosè & erroneè non exercetur nisi ideæ dispares affirmatione, aut compares negatione copulentur. Sed ideæ dispares affirmatione, aut compares negatione non copulantur, nisi fibræ, quæ dispares ideas, isochronæ, aut quæ compares referunt, eterochronæ fuerint. Ergo judicium vitiosè & erroneè non exercetur, nisi fibræ, quæ dispares, isochronæ,

chronæ, aut quæ compares ideas exhibent, eterochronæ fuerint. Sed nec fibræ, quæ dispares ideas excitant, & quæ eterochronæ esse deberent, isochronæ; nec vicissim fibræ, quæ compares ideas referunt, & quæ isochronæ esse deberent, eterochronæ fiunt, nisi à depravato mutatoque naturali fibrarum tono. Ergo iudicium vitiosè & erroneè non exercetur, nisi ex depravato fibrarum cerebri tono. *q. e. dem.*

### SCOLIUM.

**V**itiosum & erroneum iudicii exercitium fit vel in dormientibus vel in vigilantibus. In dormientibus *Insomnium* dicitur. In vigilantibus *Paralogismus* vocatur, si abstrusiora scientiæ cuiusdam theoremata spectet, ut si quis quadratum dato circulo æqualem à se geometricè construi credat. Si verò circa objecta versetur omnibus cognita, *Delirium* appellatur. De causis priorum depravationum parùm solliciti, solius Delirii *etiologya* satagimus.

Solent autem Medici Delirii duas in genere species distinguere; *Universalis*,

in quo omnes aut plurimæ cerebri fibræ vitiantur, quale est *Phrenitis*, *Mania*, *Lethargus* & *Stultitia*: & *Particularis*, in quo duæ tantum aut paucæ admodum fibræ pervertuntur, quale est *Melancholia*.

COROLLARIUM I.

Potest fibrarum cerebri tonus, ductâ ab instrumentis musicis analogiâ, multiplicatione perverti. 1°. Si fibræ præternaturam arescant ex siccitate, aut humore mollescant. 2°. Si præternaturaliter rigescant aut lentescant. 3°. Demùm si plus æquo distendantur aut atonæ flaccescant.

COROLLARIUM II.

Probabile est in Delirio *phrenitico* cerebri fibras peccare, tum præternaturali ariditate, quam à fervente sanguine circumfluo contrahunt, tum nimiâ distensione, quam sanguis in cerebrum copiosius ruens & ibi impensius æstuans ipsis infert, sive mole sive rareficientiâ.

COROLLARIUM III.

In *Maniaco* fibras hæc rigescere, exsiccari, nimiùm distendi: rigescere quidem à crassa lymphâ, quam viscosior sanguis in nutrimentum subministrat: exsiccari verò, quòd sanguis exsuccus se-



rum non suggerat nativæ fibrarum molli-  
tiei conservandæ sufficiens : Tandem  
distendi fortiùs à sanguine , qui tere-  
binthinæ instar exæstuat , totamque ce-  
rebri molem prætermodùm extendit.

COROLLARIUM IV.

In *Lethargico* non modò phlegmate  
molliri , quo sanguis cerebri substantiam  
tunc inundat ; sed simul atoniâ flacces-  
cere , quòd superius , ut ita dicam , me-  
dullaris substantiæ cerebri tabulatum ex  
laxitate à sero inductâ in inferius subsidat  
& collabatur.

COROLLARIUM V.

In *Stultitiâ* seu *Fatuitate* æquo molli-  
res aut rigidiores esse , sive ingenito , sive  
adventitio texturæ vitio ; molliores qui-  
dem , dum stolidi obsequiosi sunt & boni  
moris ; rigidiores verò , si maligni atque  
pervicaces fuerint , & ad Maniam haud  
obscurè propendeant.

COROLLARIUM VI.

Denique in *Delirio Melancholico* , ite-  
ratis vibrationibus successivis , quas at-  
tenta & repetita rei meditatio inducit ,  
duas aut aliquantò plures cerebri fibras ,  
quæ dispariles ideas ex se exhibent , illæ-  
fis cæteris cerebri partibus , ad *Isochro-*

*niam* sensim ità perduci, ut anima de cæteris sanè judicans, Delirium tamen hâc de re judicium cogatur elicere.


COROLLARIUM VII.

Sic autem fibras dissonas, modò impressam singulis instantibus dispositionem firmiter retineant, ad consonantiam simplici succussione pluries repetitâ perduci posse suadet exemplum horologiorum pendulorum, quæ dum dispari modo oscillantur, si certo tantùm distiterint intervallo, factâ hinc & inde mutuâ oscillationum compensatione, brevi solent ad amussim convenire,

Ex dictis jure concludimus,

*Tùm rectum & naturale, tùm vitiosum  
& erroneum judicii exercitium  
mechanismo modò proposito ab  
ipso fibrarum cerebri  
tono dependere.*

FINIS.



# ERUDITO

D. D. ANDRÆÆ JOSEPHO  
SERON

*In primo eruditionis specimine de Judiciii  
causis differenti.*

**J**Udicii compos facilè explanare valebit  
Judicium, quî illud perficiatur  
opus.

Ergo mactè animo, festina exponere,  
SERO,  
Judicium; cunctis maximus ardor  
inest.

Illo te dudùm ditavit larga Minerva,  
Mox meritas Lauros gratus Apollo  
dabit.

*Amico suo in æternum necessitu-  
dinis monumentum obtulit  
JOAN. STEPH. DANIEL  
DESHAYONS Novicastraus  
apud Rothomagenses, Uni-  
versitatis Monspeliensis Doc-  
tor Medicus.*



## E I D E M.

*Propositam de Judicii exercitio quæstionem  
enucleanti.*

**J**UDICII tentas causam enodare latentem  
 SERO, non serò, si bona verba feras.  
 Non mirum, tanta si judicii arte trium-  
 phes,  
 Dùm jam judicio favit Apollo tuo.

*Sic offerebat amico suo in eter-  
 num amicitie monumentum  
 JOSEPHUS BARDON  
 Bellocarensis apud Occitanos,  
 Artium Liberalium Magister  
 & jamdudum Medicina stu-  
 diosus.*



# E I D E M.

*Causas Judiciorum ab isochroniâ aut etero-  
chroniâ fibrarum cerebri deducenti.*

**P** Anditur Isochronos cerebri Sym-  
phonia, SERON  
Hoc opus attingit, grandis præludia mag-  
na  
Judicii ! propera meritas huc carpere  
Lauros,  
Quas tibi Musarum præses sacravit Apol-  
lo.

*Cecinit in perpetuum amicitie  
monumentum LUDOVIC.  
FRANC. PAICHEREAU  
DU SAULAY Nivernus,  
Artium Liberalium Magis-  
ter & jamdudum Medicinæ  
alumnus.*



# E I D E M.

*Primum Medicinæ gradum ambiendi.*

**A** Bdita iudicii referas certamine,  
 SERON,  
 Mira tuæ præbes hîc cunctis symbola  
 mentis,  
 Inclita clarorum sequeris vestigia pa-  
 trum,  
 Laudibus haud opus est, virtus sat propria  
 laudat.

*Hac in perpetuum contextit pignus amoris*

**J O S E P H U S N I C O L A S**  
*Diniensis apud Gallo-Provin-  
 ciales, Artium Liberalium  
 Magister & jamdudum Me-  
 dicinæ alumnus.*



# E I D E M.

*Mechanismum novum ad Judicii exercitium afferenti.*

**A**Rgumenta petunt rara arduaque,  
 ardua rara  
 Ingenia : hinc meritò te labor iste  
 petit,  
 Qui cerebri latebras ita pandis, Palladis  
 instar  
 Ut videaris in iis delituisse priùs.  
 Judicii litem quis judicet æquiùs ? Acri  
 Lis ea iudicio, SERO, dirempta tuo  
 est.

*Sic de Amico iudicium ferebat  
 JOANNES LABADIE Balneriensis,  
 Art. Liber. Magister & Medicinæ  
 studiosus.*

outre la These precedente et  
la suivante m. astruc en donna  
une autre en 1723. De Phantasia  
Seu Imaginatione. V. Recueil  
de diverses pieces et Theses de  
medecine.